C.R. BIBLIOTHECA UNIVER. IAGELL. CRACOVIENSIS
2085 kat.komp. [illegible]
I. Mag. St. Dr. P

Fainer Ludovici Nicolai: Annuum melos D. Joanni Cantio – decantatum.

Crac. in off. typ. Balth. Smieszkowicz 1665.

POËTAE POLON.
N. 151.

ANNVVM MELOS
D. IOANNI CANTIO
SPLENDIDIDISSIMO HORIZONTIS
ACADEMICI
PHOEBO
INTER
Gestientium animorum plausus, sacrâ solennique die, anniuersariæ eius memoriæ, dicatâ.

AD
FESTIVAM APOLLINIS CITHARAM
DECANTATVM,
PER
LVDOVICVM NICOLAVM TAINER,
Art. & Phil. Bacc.

ANNO DOMINI, M.DC.LXV.
Die 24. Decembris.

BIBLIOTHECA VNIV. IAGEL. CRACOVIENSIS
2085 I

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica BALTHASARI SMIESZKOWICZ
Typographi.

IN ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS INSIGNIA.



Semper in hoc, vinces ſigno, domus Alma Iagelli
Nam Crux Sceptra gerit, ſceptra fouentq́ue Crucem.

PERILLVSTRI,

Magnifico, & Admodùm Reuerendo Domino,

M. STANISLAO IVRKOWSKI,

Sac: Theologiæ Doctori & Professori, Protonotario Apostolico, Ecclesiarum Collegiatarum: Sancti Floriani Præposito, Sancti Georgii in Arce Cracouiensi, & Opatouiensi Custodi, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Procancellario, & Generali Rectori vigilantissimo.

Domino & Patrono amplissimo.

I*Nter festiuas applaudentium voces, nec me silere conuenit*, Perillustris Magnifice & Admodùm Reuerende Domine. *quippè illuxit hodie splendidissimus Horizonti Academico Titan, tot elinguia Memnonis saxa, quot corpora extinctorum animans; illuxit Phœbus, Generosis Lechiæ ephebis; illuxit Sol, vt Sarmatica ales, periculum pullorum ad fulgorem illius faceret. Ergonè in apertum, è tenebris non erat prodeundum? minimè; ergonè Harpocratico indulgendum silentio? nequaquam. Equidem nec potuit, nec debuit, mea contineri oculorum acies, vt si non aspicere, suspicere saltem Solem hodiernum auderet; Solem inquàm, qui non minus maleuolorum ferit oculos, quàm solum hoc Iagelloni*

nicum fouet, & exhilarat. Sed quid ego solus, lucem Soli addere præsumo? Tuis potius Perillustris Magnice Domine; *quod oriatur sub auspiciis nobis gratulamur, atq; vtinam & sacra Apotheosi coronetur. Habet enim Alma Vniuersitas Te eum Atlantem, qui tot publicis infractus laboribus; eam etiam Spartam promoueas; habet Te alterum Argum ordinatissimo literarum, literatorumq; horto præsidem; habet inexhaustum eruditionis, Virtutis, pietatis, consiliiq; fontem. Quod si adeò politam obseruauimus Antiquitatem, vt fontibus etiam, vsui omnium seruientibus, quotannis coronas necteret: an non Tibi id,* Perillustris Magnifice Domine, *iure æquiori præstandum est; exquo tot beneficia quot fauores Vniuersi haurimus. Et digna quidem Tua sunt tempora queis Idaspes aurum voluat pro corona; Indus gemmas pro diademate; Sed hæc aliis: mihi corollam hanc e. Diui IOANNIS CANTII virtutibus, ceu fragrantissimis flosculis contextam, Tuo visum est dedicare capiti. Nec venues* Perillustris Magnifice Domine, *Te à me etiam coronari, quem toties Alma Vniuersitas coronat; nec coronam abiicies, quæ Tuis in temporibus reuirescere desiderat. Quare* Perillustris Magnifice Domine *prima hæc Tyrocinii rudimenta Diui IOANNIS CANTII Encomio deuota; benigno vt soles recipias vultu: atq; vt multis, Patrem Te, & Patronum exhibes, idem mihi etiam, præstare non dedigneris.*

Perillustr. Magnif: & Admodùm
Reuerendæ Dominationis

Cliens deditissimus,

LVDOVICVS NICOLAVS TAINER,
Art. & Phil. Baccalau.

MELOS ANNVVM.

INusitato, Lechia concine
Afflicta plausu. parce doloribus,
Lessique lugubris querelæ,
Oceani tumulentur vndis.
Remitte curas, dum pietas iubet,
Diuo triumphos tollere Cantio,
Nec non serenæ, tristiori
Sint hominum sine nube frontes.
Quantum laboris. penna subit mea!
Dum Cantianis laudibus incubat.
Queîs par, nec est tellus Polona
Pergama Romulidumque celsa.
Ferto Camœnæ primitias meæ,
Accurre metris; Sarmatiæ decus.
O clare magnis Diue gestis
Eximium columenque Craci.
Tu literatis meta laboribus,
Sidusque nostrum; discutiens tetram
Nubem; tot aduersantium, ne
Splendor Academiæ prematur.
Hucusque vulgus Romulidum frequens,
Miratur in Te quæ fuerint Tibi
Vires; ter esses cum viator
Principis ad monumenta Petræ.

Te ſumma Virtus, Te Sapientia
Cœleſtis ornat: Te pietas quoque,
Nobis recommendat ſequendum
Prodigiis renitens in horas.
Icon pudoris; lactea ſæcula
Lechis reducis: dum latices rudis
Mutas Rudauæ; lacteumque
Reſtituis Patriæ vigorem.
Tu Phœbus alter ſaxea Memnonis
Non ora ſoluens; mortis ab impià
Sed falce cæſos, luce donas;
Poſt hominum pia vota dicta.
Te poſcit Irus, munere prodigum,
Mater bonorum pauperies cui
Plus Gange ſemper, vel nitenti
Carior exſtiterat metallo.
O Diue CANTI, Paſtor amabilis,
Teſtis Tuorum Olcuſſia permanet
Diues laborum; quos tot annis
Pertuleras animo ſereno.
Tu Diue Cuſtos, in vario doces
Sperare caſu: dum violentior
Surgit tumultus; concitiſque
Tu placidam tribuis quietem.
Tu veriores carmine Delphico
Voces dediſti; compita Craciæ
Vulcanus ardoris priuſquam
Æſtibus afficeret maligni.

Qui cuncta mandas horrida ſpernere,
Et nos tueris, ne valeat lues
Vaſtare corpus: tu coërce
Exitium Patriæ nefandum.
Fortis Chimeram Tu ſuperas ſtygis,
Multis benignam porrigis & manum
Nec non timendos ſœpè caſus
Auxilio potiore differs
O Diuè, ſortis fluctibus eripis
Tu nos; reducens cordibus anxiis
Vires; & omni deſtitutos
Præſidio; facis eſſe firmos.
Ecquid Polonos tollet acinaces,
Illos benignè ſi Tua dextera
Defendit: hoſtes & furentes
Cimmeriis ſepelit tenebris.
Hic iam trophæum tollite; quosiuuat
Ex Cantiano ferre ſinu bona;
Æuoque nullo terminandos
Poſteritas reſonet triumphos.

DIVVS IOANNES CANTIVS

ANAGRAMMATA.

I.

Vni dicit annos ſuaues.

ÆQuora qui mulcet, ventorum concita flatu
Neptunus: propriis flumina ditat aquis.
Sic *Dicit ſuaues annos* & CANTIVS *vni*,
Qui multos ſceptris, conſilioque regit.

II.

Cantu nos iuuas in dies.

OPtima promittis mærenti tempora Regno,
Inque Dies Cantu, nos meliore *iuuas*.

III.

Diues Vincas, vnis natos.

O Meritis *Diues, vincas* mala fata IOANNES,
Vnis qui *natos*, cordis amore Tuos.

IV.

Sanè Tu vincas inuidos.

Ad Zoilum.

S*Anè*, qualiacunque metra ſunt, *Tu*
Vincas attamen *inuidos* Poëtæ.

A. M. D. G. B. V. H. D. C. D.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0017010